



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

#### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

#### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

#### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# MARRATIO

de

## T. Annio Milone.

Scripsit

*Carolus Guil. Elberling, A. M.*



## Indbydelseskrift

til

den offentlige Examen i Slagelse lærde Skole  
i September 1840.



Kjøbenhavn.

Trykt hos Bianco Luno.

NARRATIO



DE

T. ANNIO MILONE.

SCRIPSIT

CAROLUS GUIL. ELBERLING,



HAUNIAE.

TYPIS EXPRESSIT BIANCO LUNO.

MDCCXL.

**NARRATIO**

**DE**

**T. ANNIO MILONE.**

---

**Q**uum Narrationem de *P. Clodio Pulchro* superiore anno vulgarem, hoc maxime spectavi, ut, qui Ciceronis orationem pro *T. Annio Milone* legerent, haberent quod in ea interpretanda sequerentur. Quod exorsus sum, nunc ita profligare studui, ut, quae de *T. Annio Milone* apud scriptores veteres legerentur, in unum collecta proponerem.

**T. ANNIUS MILO** ex *Lanuvio*<sup>1)</sup> municipio fuit<sup>2)</sup> et ex familia Papia, sed adoptatus est a *C. Annio*, avo suo materno<sup>3)</sup>. Hic *C. Annius* fortasse is est, qui a. u. 647 = 107 a. Chr. a *Q. Metello Numidico* cum quattuor cohortibus Ligurum Leptin missus est<sup>4)</sup>, et a. u. 673 =

---

<sup>1)</sup> *Lanuvium* Latii oppidum est ad viam Appiam situm (STRAB. V p. 232 et 239), hodie *Città Lavinia* (ORELL. ad Cic. Milon. c. 17 p. 91).

<sup>2)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 32 Orell.; APPIAN. B. Civ. II, 20; cf. SIL. ITALIC. XIII, 364 sq.

<sup>3)</sup> ASCON. ad Milon. 35, 95. — DRUMANN (Geschichte Roms I p. 42 sqq.) Milonis patrem fuisse arbitratur *C. Papium Celsum*, matrem *Anniam*, filiam *T. Annii Lusci*, neptem *T. Annii Lusci Rusi*, qui a. u. 626 = 128 consul fuit. Negat vero Milonis avum maternum *Caium* vocari potuisse, sed *Titum*, quod ipse avi nomine per adoptionem adsumpto *Titus* vocatus sit. Itaque in Asconii loco scribendum censem eum *Manutio a T. Annio avo suo materno*. De hoc *T. Annio* nihil constat, nisi ad eum referendus sit locus CICERONIS pro *Clauent.* 28,78: *Illo ipso tempore in aedes T. Annii, hominis honestissimi, necessarii et amici mei, noctu Staienus venit.* — Sed ut verum fatear, quae Drumannus de genere Milonis tradit, eius mihi esse videntur, qui ea se scire postulet, quae sciri nequeant.

<sup>4)</sup> SALLUST. Iugurth. 77.

81 a Sulla in Hispaniam missus Q. Sertorium provincia expulit<sup>1)</sup>). Incidit Milonis aetas<sup>2)</sup> in turbulentissima rei publicae tempora, qualia vel modestissimum et pudentissimum quemque praecepitem agere poterant; sed eius hominum generis Milo non fuisse videtur. Cicero quidem virtutes eius verbis magnificis extollit<sup>3)</sup>; sed verius esse puto Asconii iudicium, *Milonem Clodio audacia parem fuisse, sed pro melioribus partibus stetisse*<sup>4)</sup>). Quin Appiano Milo θρασύτερος εἶναι τοῦ Κλωδίου visus est<sup>5)</sup>), Velleio *vir inquietus et ultra sortem temerarius*<sup>6)</sup>). Quando igitur Milonem cum Clodio pugnantem vides, haud immerito dixeris cum Aesernino Samnite Pacideianum compositum esse<sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> PLUTARCH. *Sertor.* 7.

<sup>2)</sup> Quo anno natus sit, non constat; sed quum aetas consularis sit annus quadragesimus tertius (CICER. Philipp. V, 17, 48), Milo autem in annum u. 702 = 52 consulatum petierit, natalis eius ad annum 659 = 95 referri potest.

<sup>3)</sup> Ut pro Sest. 40, 86: *Quem umquam virum tam immortali virtute vidimus? qui nullo praemio proposito praeter hoc, quod iam contritum et contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, summos labores, gravissimas contentiones inimicitiasque suscepit? qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuisse, non verbis, quid oportet a praestantibus viris in re publica fieri, et quid necesse esset: oportere hominum audacium, eversorum rei publicae sceleri legibus et iudiciis resistere; si leges non valerent, iudicia non essent, si res publica vi consensuque audacium armis oppressa tenebatur, praesidio et copiis defendi vitam et libertatem necesse esse. Hoc sentire prudentiae est, facere fortitudinis, et sentire vero et facere perfectae cumulataeque virtutis.* Cfr. ibid. 69, 144; Vatin. c. 17; Orat. post Red. in Sen. 8, 19; 12, 30; post Red. ad Quir. 6, 15.

<sup>4)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 32. Cfr. CICER. pro Milon. 2, 5: *Milo semper pro bonis contra improbos senserat.*

<sup>5)</sup> APPIAN. B. Civ. II, 16.

<sup>6)</sup> VELL. PATERC. II, 68, 3.

<sup>7)</sup> LUCILIUS ap. Cicer. de Opt. Gen. Orat. 6, 17; CICER. Epist. ad Q. Fratr. III, 4, 2.

Quum vero quaestura primus ad rem publicam gradus esse soleret, quaesitum est, quo anno Milo quaestor fuerit; sed nec ulla quaesturae eius apud scriptores veteres mentione invenitur, et fieri potest, ut ne fuerit quidem quaestor. Ex verbis certe Ciceronis: *Adiit ad rem publicam tribunus plebis Milo*<sup>1)</sup> coniici posse videtur eum ante tribunatum nullum magistratum gessisse. Verum utut haec res sese habet, a. u. 696 = 58, quum *tribunus plebis* creatus esset, Cicero exsul eum in se officiosissimum fore speravit<sup>2)</sup>. Nec fecellit spem de se conceptam; nam a. u. 697 = 57 Milonis aliorumque studio effectum est, ut Cicero in patriam restitueretur. Quod quum alio loco exposuerim<sup>3)</sup>, legentes eo ablegare sufficiat; hic vero quaedam commemoranda esse videntur, quae ad Milonem proprie spectant. Primum enim Clodium lege Plotia de vi reum fecit; sed quo minus iudicium fieret, amici Clodii prohibuerunt<sup>4)</sup>. Deinde vero, sed incertum quo anno<sup>5)</sup>, eandem postulationem repetiit non meliore successu. Huc pertinent quae apud Ciceronem legimus: *Reus Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit*<sup>6)</sup>; et *Milo P. Clodium in iudicibus, ad vim numquam vocavit*<sup>7)</sup>. — Tum Clodius Milonis

<sup>1)</sup> CICER. Sest. 40, 87.

<sup>2)</sup> CICER. Q. Fratr. I, 4, 3.

<sup>3)</sup> Narrat. de P. Clodio p. 24 sqq.

<sup>4)</sup> Ibid. p. 27.

<sup>5)</sup> CICER. Sest. 44, 95 de Milone: *Hic, qui se est tutatus sic, ut in privata re deos penates suos, in re publica iura tribunatus auspiciaque defendere, accusare eum (P. Clodium) moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.* Oratio Sestiana a. 698 = 56 habita est; quamobrem, si locus ille ad secundam postulationem referendus est, Milo aut bis eodem anno 697 aut a. 698 iterum Clodium accusavit.

<sup>6)</sup> CICER. Milon. 13, 35.

<sup>7)</sup> CICER. Milon. 15, 40.

*domum eam, quae est in Germalo<sup>1)</sup>), pridie Idus Novembr. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora quinta cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. Tum ex Anniana Milonis domo<sup>2)</sup> Q. Flaccus eduxit viros acres; occidit homines ex omni latrocincio Clodiano notissimos; ipsum cupivit; sed ille se in interiora aedium Sullae<sup>3)</sup>.*

A. u. 698 = 56 quum Milo privatus esset, a Clodio de vi accusatus est et a Pompeio defensus<sup>4)</sup>; sed aut absolutus est Milo non minus quam P. Sestius, qui ob eandem caussam et eodem crimine reus fuerat<sup>5)</sup>, aut caussa numquam iudicata est. Eodem vero anno praeturam petisse Milo videtur, in qua petitione a Pompeio adiutus est<sup>6)</sup>; sed propter tumultus urbanos comitia magistratum curulum habita non sunt<sup>7)</sup>. — Eodem anno P. Corn.

<sup>1)</sup> *Germalus* sive *Cermalus* est locus in Urbe in iuxta parte montis Palatini ad Tiberim situs; vid. FESTUS s. v. *Cermalus* p. 42 ed. Lindem.; cfr. Id. s. v. *Septimontium* p. 150, 261, 267; VARR. de Ling. Lat. IV p. 16 sq. ed. Bip.; PLUTARCH. Romul. 3 extr.; GOELLER ad Livii libr. XXXIII c. 26 p. 114 sq. Nomen Germalum derivatur a germanis Romulo et Remo, quod ad sicum ruminalem et h inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos (VARR. l. c.).

<sup>2)</sup> Domus Anniana fortasse eadem est, quae *domus Milonis in clivo Capitolino* (CIC. Milon. 24, 64), a C. Annio hereditate reicta.

<sup>3)</sup> CICER. Attic. IV, 3, 3; cfr. Sest. 39, 85; 41, 88; Milon. 14, 38; Orat. post Red. in Sen. 8, 19 et ibi Wolf.

<sup>4)</sup> Narrat. de P. Clodio p. 28.

<sup>5)</sup> CICER. Vatin. 17, 41.

<sup>6)</sup> CICER. Milon. 25, 68. Ceterum Milonis petitionem praeturae ad hunc annum referendam putavi, quum praesertim in Oratione Milon. l. c. periculo capitis statim subiiciatur petitio praeturae. Sed res dubia est et controversa.

<sup>7)</sup> DIO CASS. XXXIX, 26—30; LIVII Epit. CV; CICER. Q. Fratr.

Lentulus Procos. Ciceroni de Milonis familiaritate, de levitate et imbecillitate Clodii gratulatus est<sup>1)</sup>; Milo autem bestiarios, quos C. Cato trib. pleb.<sup>2)</sup> de Cosconio et Pomponio emerat, sed alere non poterat, per quendam non familiarem a Catone emit; quo facto L. Racilius trib. pleb. rem patefecit eosque homines sibi emptos esse dixit et tabulam proscriptisit *se familiam Catonianam venditum*; in eam tabulam magni risus consequebantur<sup>3)</sup>. — Praeterea Milo curavit, ut Sex. Clodius de vi accusaretur; sed quum imbecilli essent accusatores, *ei tres sententiae deterrimo in consilio ad damnationem defuerunt*<sup>4)</sup>.

A. u. 699 = 55 Praetores a. d. III Id. *Februarias* nondum creati erant<sup>5)</sup>; sed comitia eorum sine ullo tumultu habita esse legimus<sup>6)</sup>. Iam vero si Milo hoc anno praetor fuit, nihil magni effecisse videtur, quum

II, 6, 6; PLUTARCH. Pomp. 51—52; Crass. 14—15; APPIAN. B. Civ. II, 17—18; VELL. PATERC. II, 46, 1.

<sup>1)</sup> CICER. Fam. I, 7, 7.

<sup>2)</sup> De hoc C. Catone, quem Cicero a. u. 695 = 59 *adolescentem nullius consilii* appellat (Q. Fratr. I, 2 c. 5 § 15), vid. BEIER. ad Cic. Oratt. Fragm. p. 122 et 280.

<sup>3)</sup> CICER. Q. Fratr. II, 6, 5; cfr. Off. II, 17, 58.

<sup>4)</sup> CICER. Q. Fratr. II, 6, 6; cfr. Cael. 32, 78.

<sup>5)</sup> CICER. Q. Fratr. II, 9, 3. Scribendum autem h. l. videtur ex cod. Medic. et aliis a. d. III Id. *Febr.*, quum in plerisque edd. sit *Id. Maias*. POMPEIUS enim et CRASSUS, qui post interregnum consulatum inierunt (DIO CASS. XXXIX, 31), ad comitia ceterorum magistratum habenda statim animum adiecerunt (Dio Cass. I. c. cap. 32); itaque veri simile non est comitia quattuor primis anni mensibus nondum perfecta esse. Pertinere autem locum illum Ciceronis ad comitia praetorum patet ex PLUTARCH. Cat. Min. 42; Pomp. 52; LIVI Epit. CV; VALER. MAX. VII, 5, 6. — Accedit ad scripturam illam probandam, quod Cicero mense Maio Romae non fuisse videtur, vid. Ep. ad Attic. IV, 9, 2.

<sup>6)</sup> DIO CASS. XXXIX, 32; cfr. tamen PLUTARCH. Cat. Min. 42; Pomp. 52.

nulla praeturae eius mentio inveniatur; qua tamen in re non negligendum est consules huius anni omnia per se ges- sisse. Fuisse autem Milonem hoc anno praetorem etiam inde veri simile sit, quod Clodius ex Urbe proficisci cupi- vit<sup>1</sup>). — Mense Novembri, ut videtur<sup>2</sup>), Milo uxorem duxit FAUSTAM, L. Sulla dictatoris ex Metella filiam<sup>3</sup>), a Mem- mico dimissam<sup>4</sup>), quae vitae impudicitia famosa erat<sup>5</sup>).

A. u. 700 = 54 pro M. Scauro repetundarum reo Milo iudicibus supplicavit<sup>6</sup>). Eodem anno maximus Miloni plausus datus est, quod ignorassemus, nisi Romanus qui- dam hanc rem tanti aestimasset, ut absentem Caesarem de ea certiore faceret<sup>7</sup>). Pompeius autem Miloni infensus erat dixeratque se perfecturum, ut etiam Caesar ei adver- saretur<sup>8</sup>); quo pertinere videtur, quod Cicero ad Caesarem de Milone scripserat<sup>9</sup>). Sed graviora haec sunt: *Milo lu-*

<sup>1)</sup> Narrat. de P. Clodio p. 29.

<sup>2)</sup> CICER. Attic. IV, 13, 1: *Romae a. d. XIII Kalend. (Decbr.) volumus esse: quid dico volumus? Immo vero cogimur. Milonis nuptiae; comitiorum nonnulla opinio est.* — Ibid. V, 12 legimus: *Kalendis (fortasse Novembr.) cogito in hortis Crassipedis quasi in de- versorio coenare. Facio fraudem senatus consulto. Inde domum coenatus, ut sim mane praesto Miloni.* Ex his verbis DRUMANNUS p. 45 colligit Milonem eo anno accusatum fuisse et a Cicerone de- fensum, quod nusquam traditur. Mihi haec verba potius ad negotium aliquod nuptias praecedens referenda videntur.

<sup>3)</sup> PLUTARCH. Sull. 34.

<sup>4)</sup> ASCON. ad Cie. Scaur. p. 29 Orell. et ad eund. loc. BEIER p. 224; cfr. CICER. Attic. V, 8; ASCON. Argum. Milon. p. 33 et 35.

<sup>5)</sup> HORAT. Sat. I, 2, 64 sqq. et ibi Int.; ASCON. in vita Sallustii ap. Acron. et Schol. Cruq. ad Horat. Sat. I, 2, 41; VARRO ap. Gel- lium N. A. XVII, 18; MACROB. Saturn. II, 2 p. 334 Bip.; SERV. ad Virg. Aen. VI, 612; MADVIGHI Opusc. p. 71.

<sup>6)</sup> ASCON. ad Cie. Scaur. p. 29.

<sup>7)</sup> CICER. Q. Fratr. III, 1 c. 4 § 13.

<sup>8)</sup> CICER. Q. Fratr. III, 2, 2; 8, 6.

<sup>9)</sup> CICER. Fam. VII, 5, 3.

*dos apparat magnificentissimos, sic, inquam, ut nemo sumptuosiores, stulte bis terque non postulatos, vel quia munus magnificentum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magister, vel quia potuerat magistrum se, non aedilem putare<sup>1</sup>).* Item haec: *Angit unus Mi o. Sed velim finem afferat consulatus, in quo enitar non minus, quam sum enitus in nostro; tuque istinc, quod facis, adiuvas.* De quo cetera, nisi plane vis eripuerit, recte sunt<sup>2</sup>); de re familiariter meo. ‘O δὲ μαλεται οὐκέτ’ ἀνεκτῶς, qui ludos HS C comparet. Cuius in hoc uno inconsiderantiam et ego sustinebo, ut potero, et tu ut possis, est tuorum nervorum<sup>3</sup>). Eodem pertinere videtur, quod plebem et infimam multitudinem non modo virtute flexisse, sed etiam tribus suis patrimonii delenisse dicitur<sup>4</sup>). Haec tria patrimonia fuisse videntur unum patris Papii, alterum C. Annii, a quo adoptatus erat, tertium fortasse matris<sup>5</sup>). Sed praeterea ingens aes alienum contraxerat; nam quum insequenti anno consulatum petens sestertium sexagies (= 220810 Spec.) in aere alieno se habere secundum veterem consuetudinem professus esset,

<sup>1</sup>) CICER. Q. Fratr. III, 8, 6. Quo extrema verba huius loci pertinent, omnino ignotum est. Wieland cum aliis de sententia eorum invenienda plane desperat, neque ego me ceteris feliciorem esse contendeo. ORELLIUS (Onomast. Tull. p. 39) ea ita interpretatur: *potuerat cogitare sibi non ut aedili alicui, quem magistratum non gerebat, magnificentissimum manus esse edendum, sed sufficere eiusmodi manus, ut magistri hereditatum faciebant in honorem eius, qui ipsos heredes scripserat, ut Scipio, Pompeii sacer, Q. Metello Pio, pro Se- stio 58, 124.*

<sup>2</sup>) Cfr. CICER. Milon. 9, 25; 35, 96.

<sup>3</sup>) CICER. Q. Fratr. III, 9, 2; cfr. Milon. 36, 100.

<sup>4</sup>) CICER. Milon. 35, 95. — ASCON. Argum. Milon. p. 22: Favebat Miloni populus propter effusas largitiones impensasque ludorum scenicorum ac gladiatoriū munieris maximas.

<sup>5</sup>) ASCON. ad Cic. Milon. 35, 95.

eum longe minus quam haberet aeris alieni professum esse  
 P. Clodius in senatu contendit<sup>1)</sup>) negavitque eum oportere  
 petere, qui magno aere alieno defeneratus praedae videretur  
 habiturus esse rem publicam<sup>2)</sup>). Neque mentitum esse  
 Clodium inde appareat, quod Plinius<sup>3)</sup> inter prodigia animi  
 humani dicit Milonem sestertium septingenties (= 2576145  
 Spec.) aeris alieni debuisse, quodque bona exsulis propter  
 aeris alieni magnitudinem semuncia venierunt<sup>4)</sup>). Sed ut  
 in viam redeam, C. Cato hoc anno cum Cicerone et Milone  
 in gratiam rediit<sup>5)</sup>).

A. u. 701 = 53 Milo consulatum in annum proximum  
 petuit. Quantopere Cicero ei studuerit, ipse dicit in epistles  
 ad C. Curionem: *Ego omnia mea studia, omnem operam,  
 curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem  
 in Milonis consulatu fixi et locavi statuque in eo me non  
 officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaere-  
 re. Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantae  
 curae fuisse umquam puto, quantae mihi sit honor eius, in  
 quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto  
 adiumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit prae-  
 terea nobis requirendum. Habemus haec omnia: bonorum  
 studium conciliatum ex tribunatu propter nostram, ut spero  
 te intelligere, caussam; vulgi ac multitudinis propter magni-  
 ficieniam munerum liberalitatemque naturae; iuventutis et gra-  
 tiosorum in suffrageis studia propter ipsius excellentem in eo*

<sup>1)</sup> *Tria, ut opinor, haec in Milonis personam questus es, de aere alieno, de vi, de ambitu.* CICER. Fragm. Or. de Aere alieno Milonis III, 2.

<sup>2)</sup> SCHOL. BOB. Argum. Orat. Cic. de Aere alieno Milonis p. 341 Orell.

<sup>3)</sup> PLINII Hist. Nat. XXXVI c. 15 s. 24 § 101.

<sup>4)</sup> ASCON. ad Milon. p. 54. De his bonis plura dicemus infra.

<sup>5)</sup> CICER. Att. IV, 16, 5.

*genere vel gratiam vel diligentiam; nostram suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen et iustum et debitum et propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis et auctor opus est et eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam et quasi gubernator; qui si ex omnibus unus optandus esset, quem tecum conserre possemus, non haberemus. Quamobrem, si me memorem, si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone labore, existimare potes; si dignum denique tuis beneficiis iudicas: hoc a te peto, ut subvenias huic meae sollicitudini et huic meae laudi vel — ut verius dicam — prope saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor te maioris animi gravitatis, constantiae benevolentiaeque erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego, ni te videre scirem, quum ad te haec scriberem, quantum officii sustinerem, quanto opere mihi esset in hac petitione Milonis omni modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem. Nunc tibi omnem rem atque caussam meque totum commendo atque trado. Unum hoc sic habeto: si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi quam ipsi Miloni debitum; non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua praeccipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda. Eam autem unius tui studio me assequi posse confido<sup>1)</sup>). Item quum P. Clodius in senatu invectionem sibi non tantum contra Milonem, verum etiam contra ipsum M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcisset, ut ambitum moveri ab eo diceret, quoniam multis erga rem publicam meritis praevaleret, vim moliri etiam*

---

<sup>1)</sup>) CICER. Fam. II, 6, 3 sqq.

*per armatos homines criminaretur, ad extremum longe minus quam haberet aeris alieni esse professum: contradixit eius insectationi M. Cicero, qui familiaritate praecipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suae dignitatis ab eodem tribuno plebis meminerat adiutam<sup>1</sup>).* Huius orationis sive *Interrogationis de Aere alieno Milonis modo fragmenta supersunt.* De reliquis huius anni turbis alibi locutus sum<sup>2</sup>).

A. u. 702 = 52 Milo *dictator* fuit Lanuvii<sup>3</sup>); quod quid sit ut melius intelligatur, res paullo plenius explicanda est.

Summi in municipiis magistratus, qui plerumque annui fuisse videntur, et numero et nomine differebant<sup>4</sup>). Sic *duumviri* inveniuntur Campani<sup>5</sup>), Corsinienses<sup>6</sup>), Antii<sup>7</sup>), Minturnis<sup>8</sup>), alibi<sup>9</sup>); alibi *triumviri*, *quattuorviri* cet. Erant in aliis municipiis singuli magistratus, qui nonnullis locis *praetores* vocabantur<sup>10</sup>), alibi *dictatores*. Fuit autem *dictator* vetus magistratus Latinus<sup>11</sup>) ut Albae<sup>12</sup>) et Tusculi<sup>13</sup>). Re-

1) SCHOL. BOB. l. c. p. 341. — Ceterum A. MAI p. 341 et 347 Orell. hanc orationem Ciceronis ad a. 702 = 52 refert; sed ex Fragm. II, 3 iisque, quae Schol. ibi annotavit (verba attuli in Narr. de P. Clodio p. 32 not. 2), satis apparere videtur orationem a. 701 = 53 habitam esse.

2) Narrat. de P. Clodio p. 31 sqq.

3) CICER. Milon. 10, 27; 17, 45. 46; ASCON. Argum. Milon. p. 32.

4) ORELLII Inscriptt. Latt. N. 3775 sqq.

5) CICER. Sest. 8, 19 coll. Pison. 11, 24 sq.

6) CAES. Bell. Civ. I, 23, 4.

7) CICER. Attic. II, 6, 1.

8) VELL. PATERC. II, 19, 2.

9) CAES. Bell. Civ. I, 30, 1; CICER. Leg. Agrar. II, 34, 93.

10) ORELLII Inscriptt. Latt. N. 3785; cfr. DUKER ad Liv. IX, 16, 17; Intit. Horatii Sat. I, 5, 34.

11) NIEBUHR Römische Geschichte I. p. 587 sq.; II. p. 37 sqq. ed. sec.

12) LIV. I, 23, 4; ORELLII Inscriptt. N. 2293.

13) LIV. III, 18, 2; VI, 26, 4.

centioribus temporibus dictatores invenimus Fidenis<sup>1)</sup>, Nomenti<sup>2)</sup>, Lavinii<sup>3)</sup>, Caere<sup>4)</sup>, alibi<sup>5)</sup>). Quum autem eiusmodi magistratus municipales interdum viris Romae habitantibus traderentur, ut postea Imperatoribus<sup>6)</sup>, honoris potius quam potestatis caussa accepti esse videntur<sup>7)</sup>.

Iam vero quum Milo a. d. XIII Kal. Febr. Lanuvium ad flaminem Iunonis Sospitae<sup>8)</sup> prodendum proficisceretur, Clodius ei circa horam nonam paullo ultra Bovillas occurrit et a servis Milonis interfectus est. Haec et quae caedem proxime secuta sunt, alibi exposui<sup>9)</sup>; nunc vero, ubi tum substitut oratio, inde ordiamur.

*Incendium curiae maiorem aliquanto indignationem civitatis moverat quam intersectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exsilium, invidia adversariorum recreatus nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihil deterritus consulatum<sup>10)</sup>; aperte quoque tributum in singulos milia assium dederat<sup>11)</sup>. Contionem ei post aliquot dies dedit M. Caelius, tribunus plebis, atque ipse etiam caussam egit ad populum. Dicebat uterque Mi-*

<sup>1)</sup> ORELL. N. 112.

<sup>2)</sup> ORELL. N. 208.

<sup>3)</sup> ORELL. N. 3786.

<sup>4)</sup> ORELL. N. 3787.

<sup>5)</sup> ORELL. N. 3789 et not. ad N. 3786.

<sup>6)</sup> SPARTIAN. Hadrian. 19; ORELL. N. 1455, 3817, 3876 al.

<sup>7)</sup> Cfr. CICER. Sest. 8, 19.

<sup>8)</sup> Vid. Intt. Cic. Milon. 10, 27.

<sup>9)</sup> Narrat. de P. Clodio p. 33 sqq.

<sup>10)</sup> Cfr. APPIAN. B. Civ. II, 22; DIO CASS. XL, 49; CICER. Mil. 23, 61 sqq.

<sup>11)</sup> Q. Metellus Scipio in senatu dixit Milonem populo tributum singula milia aeris ad defendendos de se rumores dedisse. ASCON. Argum. Milon. p. 36.

*loni a Clodio factas esse insidias<sup>1</sup>).* Milone adhuc diceente ceteri tribuni cum armatis hominibus in forum irruperunt magnamque et promiscuam caedem ediderunt; Caelius autem et Milo servili habitu aufugerunt<sup>2</sup>).

*Fiebant interea alii ex aliis interreges, qui comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus et eandem manum armatam habere non poterant. Itaque primo factum erat senatus consultum, ut interrex et tribuni plebis et Cn. Pompeius, qui pro consule ad Urbem erat, viderent, ne quid detrimenti res publica caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet<sup>3</sup>).* Qui quum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris eius exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem velut auctore fratre persequabantur. Easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam et comitum eius postulavit eodem tempore Caelius; familiam Hypsaci et Q. Pompeii postulavit [excidit nomen]. Adfuerunt Miloni Q. Hortensius<sup>4</sup>), M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato<sup>5</sup>), Faustus Sulla. Verba pauca Q. Hortensius dixit: liberos esse eos, qui pro servis postularentur; nam post re-

<sup>1)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 34.

<sup>2)</sup> APPIAN. B. Civ. II, 22; cfr. CICER. Milon. 33, 91 et ibi GARRATON. p. 307 sq. Orell.; DIO CASS. XL, 50.

<sup>3)</sup> Cfr. CAES. Bell. Gall. VII, 1; CICER. Milon. 23, 61; 26, 70; DIO CASS. XL, 49. 50.

<sup>4)</sup> *Pro Milone obnixe laborasse Q. Hortensius videbatur.* SCHOL. BOB. ad Milon. 6, 14 p. 282; cfr. ibid. ASCON.

<sup>5)</sup> M. Cato Milonis caussam et in senatu (CICER. Fam. XV, 4, 12) et in contione (CICER. Milon. 22, 58) defenderat.

*centem caudem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent<sup>1</sup>).*

*Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsaeo summe studebat, quod fuerat eius quaestor, desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur; Pompeium respondisse nemini se neque petendi neque desistendi auctorem esse neque populi Romani potestatem aut consilium aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Luciliūm, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret<sup>2</sup>).*

*Inter haec quum crebresceret rumor Cn. Pompeium creari dictatorem oportere neque aliter mala civitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse eum consulem sine collega creari, et quum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam senatus consulto Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V Kal. Mart. mense intercalario consul creatus est statimque consulatum iniit<sup>3</sup>). De Pompeio dictatore creando iam inter turbas a. 700 = 54 mentio saepe facta erat; sed invidia rei effecit, ut Pompeius se negaret velle<sup>4</sup>). Iam vero quum de dictatore creando iterum loquerentur homines, senatus, ne id fieret, M. Bibulo et M. Catone auctoribus decrevit, ut Pompeius consul sine collega crearetur; sin ipse collegam desideraret, tum ne intra duos menses, quem vellet, adscisceret<sup>5</sup>).*

<sup>1)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 35; cfr. CICER. Milon. 21, 57 sq.

<sup>2)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 36 sq.

<sup>3)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 37.

<sup>4)</sup> CICER. Attic. IV, 16, 11; 18, 3; Q. Fratr. II, 15, 5; III, 4, 1; 7, 2; 8, 4. 6; 9, 3; PLUTARCH. Pomp. 54; APPIAN. B. Civ. II, 19. 20; DIO CASS. XL, 45. 46.

<sup>5)</sup> PLUTARCH. Pomp. 54; Cat. Min. 47. 48; Caes. 28; APPIAN. B. Civ. II, 23; DIO CASS. XL, 50; SUETON. Caes. 26; TACITI Annal. III, 28; VALER. MAX. VIII, 15, 8.

*Post diem tertium, quam Pompeius consulatum inisset, de legibus novis ferendis retulit; duas ex senatus consulto<sup>1)</sup> promulgavit, alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam<sup>2)</sup> et incendium curiae et domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, alteram de ambitu; poenam graviorem et formam iudiciorum breviorem; utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore et ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur<sup>3)</sup>). In lege Pompeii id quoque scriptum erat<sup>4)</sup>), ut quaesitor suffragio populi ex*

<sup>1)</sup> *Si per furiosum illum tribunum (T. Munatium Plancum) senatu, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nullam haberemus. Dicernebat enim, ut veteribus legibus, tantummodo extra ordinem, quaereretur. Divisa sententia est postulante nescio quo; nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est.* CIC. Milon. 6, 14. Ad hunc locum ASCONIUS adnotavit: *Ego acta totius illius temporis persecutus sum, in quibus cognovi pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P. Clodii caedem et incendium curiae et oppignationem aedium M. Lepidi contra rem publicam factam* (cfr. CICER. Milon. c. 5 coll. 11, 31); *ultra relatum in actis illo die nihil; postero die, id est Kal. Mart., Munatum in contione exposuisse populo, quae pridie acta erant in senatu, in qua contione haec dixit ad verbum: „Quod Q. Hortensius dixisset, ut extra ordinem quaereretur apud quaesitorem, aestimare futurum, ut, quum pusillum edisset dulcedini, largiter acerbitalis devoraret; adversus hominem ingeniosum ingenio usi sumus; invenimus Fusium [Q. Fusium Calenum, vid. Narr. de P. Cladio p. 10], qui diceret Divide; reliquae parti sententiae ego et Sallustius intercessimus.” Haec contio, ut puto, explicat, et quid senatus decernere voluerit, et quis divisionem postulaverit, et quis intercesserit, et cur. Cfr. ad eund. loc. SCHOL. BOB. p. 281 sq. et GARATON. p. 170 sqq.*

<sup>2)</sup> *Cfr. CICER. Milon. 6, 15. — Nescio an in eadem lege fuerit, quod apud PLINIUM legitur (Hist. Nat. XXXIV c. 14 s. 39 § 139): Magni Pompeii in tertio consulatu exstat edictum in tumultu necis Clodianae prohibentis ullum telum esse in Urbe.*

<sup>3)</sup> *ASCON. Argum. Milon. p. 37.*

<sup>4)</sup> *Nam quae Pompeius de iudiciis universe constituisse narratur,*

*iis, qui consules fuerant, crearetur<sup>1</sup>), et quum testes per tri-  
duum auditum essent dictaque eorum iudices confirmassent,  
quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, et co-  
ram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicium in-  
scripta essent, acquarentur; dein rursus postera die sortilio  
iudicium fieret unius et LXXX; qui numerus quum sorte ob-  
tigisset, ipsi protinus sessum irent; tum ad dicendum accu-  
sator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo  
iudicaretur; prius autem, quam sententiae ferrentur, quinos  
ex singulis ordinibus<sup>2</sup>) accusator, totidem reus reiiceret, ita  
ut numerus iudicium relinquatur, qui sententias ferrent, quin-  
quaginta et unus<sup>3</sup>).*

---

capita fuisse videntur legum de ambitu et de vi. *Sed ut hoc pro-  
sus ita esse existimo, nullam tum a Pompeio separatim latam esse  
legem de iudiciis, ita, si hoc statuimus, illud certissimum est, legem,*  
quae de ambitu cerebatur, simul novam formam praescripsisse omni-  
bus quaestionibus et iudiciis, *ut ex generali et speciali mixta fuerit,*  
*quod in illa perturbatione rerum et festinandi necessitate non mirum*  
*est et multo minus abhorret a more Romanorum, etsi abhorret,*  
*quam consul sine collega creatus.* MADVIG de Tribunis aerariis p. 6.

<sup>1)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 39; cfr. CICER. Milon. 8, 22.

<sup>2)</sup> Tum enim ex lege Aurelia, quam L. Aurelius Cotta praetor tulerat a. u. 684 == 70, *senatores et equites et e plebe tribuni aerarii iudicabant* (ERNESTII et aliorum Ind. Legum, quarum apud Ciceronem cett. mentio sit, s. v. *Aurelia iudicaria* p. 142 sq. Orell.). Ceterum si recte colligo ex iis numeris, qui apud Asconium leguntur, iudicia (saltē in lege Pompeia) ita inter hos ordines distributa erant, ut ex singulis non pares essent numero, sed omnium iudicium tertia pars *equites* essent, uno plus *senatores*, uno minus *tribuni aerarii*; sic ex LI iudicibus XVIII erant senatores, XVII equites, XVI tribuni aerarii; vid. ASCON. ad Milon. p. 53. 54. Apud ASCON. in Seaur. p. 30 numeri corrupti esse videntur. Cfr. MADVIG de Trib. aerar. p. 4 sqq. et p. 18. — De reiectione iudicium vid. BEIER ad Cic. Oratt. Fragm. p. 76 et 274.

<sup>3)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 40 sq.; cfr. CICER. Brut. 94, 324; Philipp. I, 7, 18; II, 9, 22; Fin. IV, 1, 1; Attic. X, 4, 8; XIII, 49,

*His legibus obsistere M. Caelius, tribunus plebis, studiosissimus Milonis, conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri et iudicia praccipitari. Et quum pertinacius legem Caelius vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se rem publicam defensurum. Timebat autem Pompeius Milonem seu timere se simulabat; plerumque non domi suae, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat<sup>1)</sup>). Senatum quoque semel repente dimiserat Pom-*

1; TACIT. Dial. de Orator. 38; DIO CASS. XL, 52.55; ERNESTI Ind. Leg. s. v. Pompeiae de vi et de ambitu p. 246-250 Orell.

1) Cfr. CICER. Milon. 23, 61; 24; 25, 67; 35, 95. 96. — ASCON. ad 25, 67: *Diximus in argumento orationis huius Cn. Pompeium simulasse se timere seu plane timuisse Milonem et ideo ne domi quidem suae, sed in hortis superioribus ante iudicium mansisse, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret. Q. Pompeius Rufus, tribunus plebis, qui fuerat familiarissimus omnium P. Cludio et sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in contione post paucis diebus quam Clodius erat occisus: „Milo dedit, quem in curia cremareatis; dabo, quem in Capitolio sepeliatis.” In eadem contione idem dixerat (habuit enim eam a. d. VIII Kal. Febr.), quum Milo pridie [id est VIII Kal. Febr.] venire ad Pompeium in hortos eius voluisset, Pompeium ei per hominem propinquum misisse nuntium, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompeius III consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, quem quotidianis contionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset ilud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompeius Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis itemque libertos comparatos esse ad caudem suam, nomina quoque servorum edidisse (cfr. CICER. Milon. 24, 65); se ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet; a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se umquam habuisse, partim manumisisse; dein, quum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem venisse; qua re cognita in vincla eum publica esse coniectum.*

*peius, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret, et ille sine mora tunicam levarat<sup>1)</sup>). Tum M. Cicerio exclamaverat omnia illi similia crimina esse, quae in Milonem dicerentur alia.*

*Deinde Munatius Plancus, tribunus plebis, produxerat in contionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat pariterque secum quattuor liberos homines iter facientes supervenisse, quum Clodius occideretur, et ob id quum proclamassent, abreptos et productos in villam Milonis per duos menses praeclusos fuisse; eaque res, seu vera seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Idemque Munatius et Pompeius, tribuni plebis, in Rostra produxerant triumviro capitalem eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro sagitivo deprehensum et ad se productum esse responderat. Denuntiaverant tamen triumviro, ne servum remitteret; sed postera die Calius, tribunus plebis, et Q. Manilius Cumanus, collega eius, ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt. Inter primos et Q. Pompeius et C. Sallustius et T. Munatius Plancus, tribuni plebis, inimicissimas contiones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet;*

---

*Decrevit enim senatus, ut cum interrege et tribunis plebis Pompeius daret operam, ne quid res publica detrimenti caperet. Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat; deinde ex S. C. delectu per Italiam habitu quum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat (cfr. CICER. Milon. 25, 68). Item quum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum tum excuti prius, quam in senatum intraret, iusseral. Hae sunt suspiciones, quas dicit se Cicero pertimescere.*

<sup>1)</sup> Cfr. CICER. Milon. 24, 66.

eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed etiam propter inimicum patrocinium Ciceroni. Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt in gratiam redisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstigit atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit; Pompeio autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem eius comparari vim vociferatus; Pompeiusque ob ea saepius querebatur fieri sibi quoque insidias et id palam ac maiore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat; postea autem Q. Pompeius idem meditatus erat. Tanta tamen constantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspicionibus, non periculi futuri metu, si dies ad populum diceretur<sup>1</sup>), non armis, quae palam in Milonem sumpta erant, deterri potuerit a defensione eius; quum posset omne periculum suum et offensionem inimicae multitudinis declinare, redimere autem Cn. Pompeii animum, si paullum ex studio defensionis remisisset<sup>2</sup>).

Perlata deinde lege Pompeii statim comitia habuit creatusque est L. Domitius Ahenobarbus (qui a. u. 700 = 54 consul fuerat) quaesitor<sup>3</sup>). Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales proposuit, ut numquam neque clariores viros neque sanctiores propositos esse consta-

<sup>1</sup>) Huc pertinere videtur praesidium, quod Cicero temporibus Milonianis a Pompeio petit (BALBI Epist. in CIC. ad Att. IX, 7, B, 2). Cfr. CICER. Fam. III, 10, 10: *Qua ille (Pompeius) facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, adversantem interdum actionibus suis? quo studio providit, ne quae me illius temporis invidia attingeret, quum me consilio, quum auctoritate, quum armis denique texit suis?* Vid. GARATON. ad Cicer. Milon. 1, 2 p. 145 Orell.

<sup>2</sup>) ASCON. Argum. Milon. p. 37 sqq. — Confr. CICER. Milon. 36, 100; Attic. IX, 7, 3.

<sup>3</sup>) Cfr. CICER. Milon. 8, 22.

ret<sup>1</sup>). Post quod statim nova lege Milo postulatus est a duobus Appiis Claudiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia eius fuerat postulata<sup>2</sup>), itemque de ambitu ab iisdem Appiis et praeterea a C. Cetheio et L. Cornificio<sup>3</sup>), de sodaliciis<sup>4</sup>) a P. Fulvio Nerato. Postulatus autem erat et de sodaliciis et de ambitu ea spe, quod primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatumiri confidebant nec postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est quaesitore A. Torquato<sup>5</sup>), atque ambo quaesitores, Torquatus et Domitius, prid. Nonas April. reum adesse iusserunt.

<sup>1</sup>) Cfr. CICER. Milon. 2, 4. 5; 8, 21; 36, 99. 100; 38, 105. Iudices a Pompeio ipso propositos esse etiam DIO CASS. XL, 52 testatur; cfr. CICER. Fam. VII, 2, 8. Trecentos sexaginta lectos fuisse colligas ex PLUTARCH. Pomp. 55 et VELL. PATERC. II, 76, 1; eundem numerum CICER. Att. VIII, 16, 2 pro corrupto DCCCL restituendum esse Junius vidit. In Sénatusconsulto CICER. Fam. VIII, 8, 5 commemorantur CCC iudices; sed neque constat, quo hi pertineant, et eo loco tam multa corrupta sunt, ut nihil inde concludi possit. Cfr. MADVIG de Trib. aerar. p. 7.

<sup>2</sup>) Vid. supra p. 16.

<sup>3</sup>) In Orell. edit. p. 40 hic locus ita scribitur: *ab iisdem Appiis, et praeterea [de vi] a C. Cetheio et L. Cornificio.* Nimirum verba *de vi* ab Hotomano aliisque addita sunt, quoniam Asconius p. 54 (Infl. p. 28) Milonem absentem *de vi* damnatum esse tradit accusantibus *L. Cornificio* et *Q. Patulcio*; sed tum etiam *Cetheii* nomen corruptum sit necesse est. Puto equidem *C. Cetheium* et *L. Cornificium* Milonem de ambitu accusare voluisse, quamobrem *divinatio accusatorum de ambitu facta est*; accusatio *de vi* hic non commemoratur.

<sup>4</sup>) Crimen sodaliciorum in eo positum erat, ut certi quidam homines, sodales dicti, quos candidati largitione corruerant, multitudinem eogerent, ut ei, a quo erant corrupti, honorem deferret. Id quo facilius fieri posset, tribules a candidato decuriabantur populusque describebatur, ita ut unicuique sodalium certa pars tribus et populi adsignaretur, cuius ut suffragia candidatus ferret, quocumque modo efficeretur debebant. Vid. WUNDER. ad Cic. Planc. p. LXXII sqq.; IND. LEGUM p. 199 sqq. Orell.

<sup>5</sup>) A. Manlius Torquatus hoc anno praetor fuisse videtur; vid. MADVIG ad Cic. Fin. II, 22, 72.

*Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit; ibi postulante pro eo M. Marcello obtinuit, ne prius caussam de ambitu diceret, quam de vi iudicium erat perfectum. Apud Domitium autem quaesitorem maior Appius postulavit a Milone exhiberi servos numero IV et L, et quum ille negaret eos, qui non inababantur, in sua potestate esse<sup>1</sup>), Domitius ex sententia iudicium pronuntiavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes secundum legem<sup>2</sup>).*

*Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, quum is occisus esset, dixit atrocitatemque rei factae, quam maxime potuit, auxit<sup>3</sup>). Quem quum interrogare M. Marcellus coepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob caussam Marcellus et ipse Milo a Domitio praesidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium<sup>4</sup>) perturbatusque erat eodem illo clamore; itaque Domitio promisit se postero die cum praesidio descensurum idque fecit. Qua re territi Clodiani silentio verba testium<sup>5</sup>) per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M. Cicero et M. Marcellus et Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant,*

<sup>1</sup>) Cfr. CICER. Milon. 22, 58. — De servis autem P. Clodii quæstiones habitæ sunt in atrio Libertatis; vid. CICER. Milon. 22, 59.

<sup>2</sup>) ASCON. Argum. Milon. p. 39 sq.

<sup>3</sup>) Cfr. CICER. Milon. 17, 46; Narrat. de P. Clodio p. 11 et 34.

<sup>4</sup>) Aerarium erat in templo Saturni ad forum sito; vid. MACROB. Saturn. I, 8; PLUTARCH. Poplic. 12; VARR. Ling. Lat. IV p. 50 Bip.; SUETON. Claud. 24; PLINII Epist. X, 20. — Nescio an inde hausta sint, quae in SCHOL. BOB. ad Milon. p. 276 leguntur, *iudices primo consedisse in aede Saturni*.

<sup>5</sup>) Inter testes etiam Q. Arrius fuisse videtur; vid. CICER. Milon. 17, 46. De Arrio vid. GARATON. ad h. l. p. 218 sq. et ORELLII Onomast. Tullian. p. 73.

*testimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant: cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Albanae<sup>1)</sup> dixerunt mulierem ignotam venisse ad se, quae Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Ultimae testimonium dixerunt Sempronia, Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia<sup>2)</sup> et fletu suo magno opere eos, qui adstabant, comoverunt. Dimisso circa horam decimam iudicio T. Munatius pro contione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset et elabi Milonem non pateretur iudiciumque et dolorem suum ostenderet eintibus ad tabellam ferendam<sup>3)</sup>). Postero die, qui fuit a. d. VI Idus Apriles<sup>4)</sup>), clausae fuerunt tota Urbe tabernae; praesidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius disposuit<sup>5)</sup>); ipse pro aerario ut pridie consedit septus delecta manu militum<sup>6)</sup>). Sortitio deinde iudicium a primo die facta est; post tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius maior<sup>7)</sup> et M. Antonius<sup>8)</sup> et P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus.*

<sup>1)</sup> Virginum Vestalium sacerdotium Alba oriundum erat (LIV. I, 20, 3), et Rhea Sylvia vestalis fuerat (ibid. 3, 11). *Virgo Albana Maxima* commemoratur in ORELL. Inscriptt. Latt. N. 2240.

<sup>2)</sup> Cfr. Narrat. de P. Clodio p. 42 sq.

<sup>3)</sup> Cfr. CICER. Milon. 2, 3; 26, 71; et ad eos locos ASCON.

<sup>4)</sup> Hunc diem verum esse facile intelligitur; nam prid. *Nonas April.* Milo ad tribunal Domitii venit; testes autem per triduum auditii sunt (prid. Non., Non., a. d. VIII Id. Apr.), quarto die (a. d. VII Id.) adesse omnes in diem posterum iubebantur; tum quinto die (a. d. VI Id. Apr.) orationes habitae sunt. Vid. ASCON. p. 40, supra p. 23 et 19.

<sup>5)</sup> Cfr. CICER. Milon. 1; 37, 101; de Opt. gen. Orat. 4, 10; QUINTIL. Inst. Orat. II, 20, 8; PLUTARCH. Cicer. 35; DIO CASS. XL, 53.

<sup>6)</sup> Cfr. CICER. Milon. 25, 67 sq.; 26, 71.

<sup>7)</sup> Cfr. CICER. Milon. 22, 59.

<sup>8)</sup> Eum esse necesse est, qui postea triumvir fuit; mirum tanien

*Respondit his unus M. Cicero; et quum quibusdam placuisse ita defendi crimen, interfici Clodium pro re publica fuisse — quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit et edidit, quasi eisset<sup>1)</sup> — : Ciceroni id non placuit, quod non, qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque quum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat — nam forte illa rixa commissa fuerat —, Cicero apprehendit et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit, eoque tota oratio eius spectavit<sup>2)</sup>). Sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum ei forte occurrisse; ex ea rixa servorum tandem ad caudem perventum. Notum tamen erat utrumque mortem alteri saepe minatum esse<sup>3)</sup>), et sicut suspectum Milonem maior quam Clodii familia faciebat, ita expeditior et paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero quum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt. Itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit<sup>4)</sup>). Manet autem illa quoque excepta eius oratio<sup>5)</sup>). Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi posset<sup>6)</sup>). Milo autem ipse constanti et erecto vultu in*

Ciceronem (Milon. 15, 40; cfr. Narrat. de P. Clodio p. 32 sq.) nullam huius rei mentionem facere.

<sup>1)</sup> Cfr. QUINTIL. Inst. Orat. III, 6, 93; X, 5, 20. — Add. CICER. Milon. 11, 30; c. 27 sqq.; QUINTIL. Inst. Orat. IV, 5, 15.

<sup>2)</sup> Ut 2, 6; 9, 23; 11, 31; 12, 32; 17 sqq.; 33, 88.

<sup>3)</sup> Cfr. Narrat. de P. Clodio p. 35 not. 3.

<sup>4)</sup> Cfr. DIO CASS. XL, 54 coll. XLVI, 7; PLUTARCH. Cicer. 35.

<sup>5)</sup> Exstat alius praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et impolita et rudia, plena denique maximi terroris agnoscas. SCHOL. BOB. in Milon. p. 276. Haec oratio nunc quidem interiit.

<sup>6)</sup> ASCON. Argum. Milon. p. 41 sq.

iudicio aderat et capillum submittere vestemque mutare noluerat, id quod ad damnationem eius non nihil contulisse putatur<sup>1</sup>).

*Peracta utrimque causa singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites et tribunos aerarios reiecerunt, ita ut unus et quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI; equites condemnaverunt XIII, absolverunt IV; tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III.* Videbantur non ignorasse iudices inscio Milone initio vulneratum esse Clodium, sed compererant, postquam vulneratus esset, iussu Milonis occisum. Fuerunt, qui crederent M. Catonis sententia eum esse absolutum<sup>2</sup>); nam et bene cum re publica actum esse morte P. Clodii non dissimulaverat et studebat in petitione consulatus Miloni et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praesentem et testatus erat audisse a M. Favonio ante diem tertiam, quam caedes facta erat, Clodium dixisse peritum esse eo triduo Milonem<sup>3</sup>). Sed Milonis quoque notam audaciam prohiberi a re publica utile visum est. — Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit eius Appius Claudius. Subscripserunt et in ambitus iudicio P. Valerius Leo

<sup>1</sup>) PLUTARCH. Cicer. 35; cfr. CICER. Milon. 1, 1; 34, 92; 35, 95; 37, 101; 38, 104, 105; QUINTIL. Inst. Orat. VI, 1, 24. 25. — Ut hoc obiter addam, PLIN. Hist. Nat. II e. 56 s. 57 § 147 haec leguntur: Milone caussam dicente lateribus coctis pluisse in eius anni acta relatum est.

